

» § IX. Errores de civili romani Pontificis principatu.

» LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii. — Litt. apost. *Ad apostolicam*, 22 aug. 1851.

» LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849.

» N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina quam catholici omnes firmissime retinere debeant de civili romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in alloc. *Quibus quantisque*, 26 april. 1849; in alloc. *Si semper antea*, 20 maii 1850; in litteris apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 martii 1860; in alloc. *Novos*, 28 sept. 1860; in alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861; in alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» § X. Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

» LXXVII. Novarum institutionum, quas constitutionales vocant, petitiones et progressus civili religiosæque societati universim prodesse censendi sunt. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849.

» LXXVIII. Ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis. — Alloc. *Nemo vestrum*, 29 julii 1855.

» LXXIX. Hinc laudabiliter in quibusdam catholicis nominis regionibus lege cautum est ut hominibus illic immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» LXXX. Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentissimi pestem propagandam. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

» LXXXI. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1851.

» LXXXII. Presentes Italiæ motus rerumque conversiones nullum habent characterem religionis, sed politicum duntaxat. — Alloc. *Omnibus votum*, 13 julii 1860; alloc. *Novos*, 28 sept. 1860; alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861. »

Textum hujus Syllabi sub præsentis animadversione inserere necessarium duximus, et quidem e genuino fonte depromptum, exemplari scilicet typis impresso et propriis manibus illustrissimo ac reverendissimo DD. Plantier, episcopo Nemausensi, dato ab ipso Sanctissimo D. N. Pio IX. Non est dubium quin exemplaria, ad antistites orbis catholici una cum epistola eminentiss. cardinalis Antonelli missa, sint plane conformia textui præcitato. Attamen in Syllabo, per typos reverendæ cameræ

apostolicæ anno 1865 evulgato, desiderantur propositiones duæ, illæ scilicet quæ sub nn. LXXVII et LXXXII referuntur. Unde fit ut in priori textu duo super octoginta errores enumerentur, dum in posteriori, necnon in libris conformiter impressis, octoginta tantum deprehenduntur.

ANIMADVERSIO XXXVI.

LITTERÆ APOSTOLICÆ AD ARCHIEPISCOPUM PARIENSEM ANNO 1865 DIRECTÆ.

« Venerabili fratri Georgio, archiepiscopo Parisiensi, Lutetiam Parisiorum, Pius PP. IX.

» Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Ex epistola quam manu nostra exaratam, die 24 mensis novembris, anno proxime superiore, ad te dedimus, per facile noscere potuisti, venerabilis frater, paternam nostram in te benevolentiam. Ea profecto spe nitebamur fore ut, illis amantis nostri in te animi sensibus permotus, velles nostræ erga te dilectioni studiosissime respondere, nostrisque desideriis perlibenter obsecundare, tuamque erga nos et hanc Petri cathedram observantiam ac devotionem luculenter ostendere, veluti catholicum antistitem omnino decet. Atque eo magis id sperabamus quod, cum ad istam Parisiensem archiepiscopalem Ecclesiam fuisti designatus, tuas ad nos litteras perferendas curasti, quibus profitebaris te nobis et huic Apostolicæ Sedi esse addictissimum et summa nos eamdemque Sedem reverentia colere. Hac igitur spe freti, in commemorata nostra epistola ne verbum quidem facere existimavimus de tuis litteris, kalendis mensis septembris, eodem superiore anno datis, quibus respondisti nostræ epistolæ, die 26 aprilis ejusdem anni tibi scriptæ, circa aliquas res ad istam tuam diocesim pertinentes, quæ tuæ litteræ non leviter nobis admirationi et tristitiæ fuerunt, cum ex illis, præter omnem expectationem nostram intellexerimus te eas habere opiniones quæ divino Romani Pontificis in universam Ecclesiam primatui omnino adversantur.

» Et sane asserere non dubitas Romani Pontificis potestatem in episcopales dioceses nec ordinariam nec immediatam esse. Opinari Romanum Pontificem tunc duntaxat in alienam diocesim posse suam interponere auctoritatem, quando diocesis ipsa ita aperte sit inordinata ac perturbata ut Summi Pontificis interventus sit unicum remedium quo animarum salutem et pastorum negligentiam consulatur. Divinum autem jus, ex quo episcopus est solus in sua diocesi iudex, minime recognosci arbitraris, cum Summus Pontifex extra commemoratum evidentis necessitatis casum sese diocesis negotiis commisceat; atque existimas diocesim canonicè erectam, in qua hierarchia est constituta, in missionum regiones converti, si Romanus Pontifex extra prædictum casum, suam potestatem erga diocesim exerceat. Insuper, in sermone potissimum a te ad istum senatum habito, affirmasti

abusum esse appellationes ad hanc Apostolicam Sedem, et oppugnans jus quo singuli fideles potiuntur appellandi ad Summum Pontificem, et inquis id impedire ac prope impossibilem reddere diocesis administrationem.

» Dum vero hanc doctrinam manifestare minime hæsitasti, clare aperteque declarasti quibus modis uti velis ad eam firmiter servandam. Namque significasti tibi in animo esse totis viribus obsistere et curare ne directus Romani Pontificis interventus extra sæpe repetitum necessitatis casum locum habeat, asserens regularium et istius nuntiaturæ et romanarum congregationum agendi rationem eo spectare ut Summi Pontificis interventus directe in dioceses inducatur. Ac præterea ais te velle, tum alios venerabiles fratres Galliæ sacrorum antistites excitare ut una tecum conspirent, tum ad vulgus appellare apta adhibita instructione.

» Eodem autem sermone a te penes istum senatum recitato haud veritus es varios in medium proferre modos supremæ Romani Pontificis et Apostolicæ hujus Sedis auctoritati maxime contrarios, retinendi scilicet apostolicas litteras, illasque civiles auctoritatis arbitrio placitoque subjiciendi, et confugiendi ad laicam potestatem. Quo sermone, typis in lucem deinde edito, verba etiam faciens de articulis organicis, quamdam eisdem auctoritatem et reverentiam deferendam censuisti, utpote respondentibus præexistenti et graviori societatis conditioni ac necessitati, cum haud ignores quomodo Apostolica Sedes contra eosdem articulos a laica potestate editos et catholicæ Ecclesiæ doctrinæ ejusque juribus ac libertati adversos protestari nunquam omiserit.

» Equidem, venerabilis frater, nunquam credere potuissemus te hisce sensibus esse animatum, nisi illos ex prædictis tuis litteris mense septembris ad nos datis, et ex memorato tuo sermone, cum summo animi nostri dolore agnovissemus. Non possumus enim non vehementer dolere et angere, cum præter omnem opinionem cogitationemque nostram, hac tua sentiendi agendique ratione videaris favere falsis et erroneis Febronii doctrinis, quas, uti noscitis, hæc Sancta Sedes reprobavit, damnavit, et catholici scriptores doctissimis operibus reprobarunt et profligarunt; ac per te ipsum per facile intelligere potes, venerabilis frater, quanta afficiamur admiratione, dum animo reputamus eas a te proferri sententias, quæ catholicæ doctrinæ repugnant et a quibus idcirco, uti Ecclesiæ catholicæ antistites, vel maxime abhorreere debes.

» Et quidem asserendo Romani Pontificis potestatem in singulas dioceses non esse ordinariam sed extraordinariam, propositionem enuntias omnino adversam concilii IV Lateranensis definitioni, in qua luculentissima ac decretoria illa leguntur verba: « Romana Ecclesia, disponente Domino, » super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi » fidelium, et magistra (Conc. IV. cap. 5). » scilicet eorum omnium qui pertinent ad Christi

gregem. Quæ gravissima ejusdem concilii verba tibi apprimè nota ac perspecta esse debent, venerabilis frater. Neque ignorare potes eandem tuam propositionem plane contrariam esse constanti usui et doctrinæ ab universali catholica Ecclesia, omnibusque ejus episcopis cum omni veneratione exceptæ ac traditæ secundum quam, tum præsentibus, tum præteritis ætatibus, Ecclesia semper tenuit ac docuit, et docet ac tenet divina illa verba « pascere » agnos meos; pascere oves meas » beatissimo Apostolorum principi ita a Christo Domino dicta fuisse, ut eorundem verborum vi, omnes et singuli fideles Petro, ejusque successoribus, velut supremis et ordinariis totius Ecclesiæ omniumque sacrorum antistitibus, immediate subjecti esse debeant, sicuti ipsi Christo Domino, cujus Romanus Pontifex verus est his in terris vicarius ac totius Ecclesiæ caput omniumque christianorum pater et doctor.

» Non parum autem miramur, cum, quin forsitan animadverteris, ex Febronianis placitis sentias, ex commemorata doctrina, dioceses in missionum regiones et episcopos in vicarios apostolicos converti, cum omnes cognoscant a catholicis merito responderi id tam esse falsum quam falsum est asserere in civili ordine ordinarios provinciarum præfectos, iudices, aliosque magistratus non posse amplius nominari magistratus ordinarios, propterea quod rex vel imperator directa seu immediata et ordinaria potestate in singulos sibi subditos potiuntur. Quæ aptissima sane similitudine utitur doctor angelicus cum inquit: « Papa habet plenitudinem » pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed » episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, » quasi iudices singulis civitatibus præpositi (S. Th. » suppl. III part. q. 26, art. 3). »

» Atque etiam non possumus non mirari te, venerabilis frater, queri de petitionibus et appellationibus quæ ad Romanum Pontificem deferuntur, quæque ab ipso excipiuntur, quandoquidem, uti catholicus antistites, scire optime debes, appellationum jus ad Apostolicam Sedem, veluti inquit immortalis memoriæ Benedictus XIV decessor noster, « adeo necessario connexum cum Romani » Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis » primatu ut nemo possit illud in controversiam » adducere, nisi et hunc velit præfracte inficari » (Bened. XIV, de *Synodo dioc.*, lib. IV, cap. 5). » Quodquidem jus adeo omnibus fidelibus notum est ut S. Gelasius prædecessor item noster (Epist. 7 ad episc. Dardan.) scriberet: « Cuncta per mun- » dum novit Ecclesia quoniam quorumlibet senten- » tiis ligata pontificum Sedes beati Petri apostoli, » fas habeat resolvendi, utpote quod de omni » Ecclesia jus habeat judicandi, neque cuiquam de » ejus liceat judicare iudicio; si quidem ad » illam de qualibet mundi parte canones appellari » voluerint, ab illa autem nemo sit appellare » permissus. »

» Hinc admirationem moves, cum affirmas hujusmodi Apostolicæ Sedis morem excipiendi eorum queelas, qui ab episcoporum iudicio ad

eamdem Sedem appellant, tibi impossibilem reddere tuæ diœcesis administrationem. Talis enim impossibilitas a nullo catholice Ecclesiæ episcoporum tum præsentium, tum superioribus ætatibus fuit unquam cognita. Quod si ejusmodi impossibilitas a te asserta existere unquam posset, eam Romanus Pontifex sentire deberet, qui gravissima omnium Ecclesiarum sollicitudine distentus omnium diœcesion petitiones excipere, easque accurate examinare ac dirimere tenetur; nunquam vero simplex episcopus qui de propriæ diœcesis factis tantum respondere debet, quæ totius catholice Ecclesiæ exigua pars est.

» Atque hujusmodi tuæ querimoniæ contra appellationum jus ad Romanum Pontificem, et contra ordinariam ac directam ejusdem Pontificis in omnes diœceses jurisdictionem, eo majorem excitant admirationem, quod omnis religiosæ mentis episcopus ex eodem jure ac jurisdictione, veluti per te ipse noscere potes, venerabilis frater, maximum solatium, consolationem ac robur percipit coram Deo et Ecclesia et coram ipsis Ecclesiæ hostibus. Et quidem coram Deo: propterea quod, dum ex parte se a reddenda villicationis suæ ratione eximit, salutari Apostolicæ Sedis lumine perfusus, magis in dies dirigitur ad suam diœcesim prospere administrandam; coram Ecclesia: nam hoc facto eam majore usque conjunctione ac firmitate et regiminis unitate vigere et florescere videt; coram ipsius Ecclesiæ inimicis: propterea quod contra ipsos hac ratione episcopus fortior et constantior evadit. Omnibus enim probatum exploratumque est episcopum, non solum debilem, verum etiam adversariorum ludibrium tunc majorem in modum fieri, cum ipse minus adheret immobili illi petreæ super quam Christus Dominus suam ædificavit Ecclesiam et adversus quam inferi portæ nunquam prævalituras esse promisit.

» Quod autem declaras te velle resistere, aliosque Galliarum episcopos commovere et ad vulgus appellare, vides profecto hisce seditiosis sane modis, a Febronio contra Apostolicam Sedem propositis, et ipsum divinum Ecclesiæ constitutionis Auctorem graviter offendi et maximam tum tuis collegis, tum catholico Galliarum populo injuriam inferri.

» Jam vero, de regularium quæstione loquentes, scias imprimis velimus regulares ipsos nihil omnino ad nos detulisse, cum visitationem a te ipsis factam aliunde noverimus. Hac de re prædictis nostris litteris, die 26 aprilis datis, te amanter monuimus: et idem nostrum monitum tibi sententiam appellare placet, parte inaudita latam; et inquis id esse contra juris præsumptionem, quam semper pro superiore stare existimas, quando inter superiorem et inferiorem, veluti sunt regulares, habito ad te respectu, agitur controversia.

» Vix credere possumus id a te dici, venerabilis frater, cum notissimus sit tibi liber Decretalium prædecessorum nostrorum, et idcirco scias, omni semper ætate, hoc in more positum fuisse Roma-

norum Pontificum, ut cum audirent aliquid ab episcopo quolibet minus recti specie peractum, ad eundem libere scripserint exprimendo propriam ægritudinem. Et quamplurimi existunt canones incipientes illis verbis: « *Relatum... Querelam... Ad audientiam... Ad nostram audientiam... Ad aures...* etc. » Neque episcopi hujusmodi Romanorum Pontificum litteras unquam acceperunt veluti sententias, inaudita parte editas, neque unquam indignati sunt; sed easdem litteras eo quo scriptæ fuerant sensu exceperunt, scilicet tanquam invitationes, vel ad comprobendam rem a se peractam, vel ad recognoscendum malefactum, illudque reparandum. Diversa agendi ratio nimis difficile Christi in terris vicario redderet totius Ecclesiæ regimen, et episcopali mansuetudini haud satis esset consentanea.

» In plures autem ambiguitates te incidisse dolemus, venerabilis frater, quoad regularium negotium. Nam, pro tua prudentia, primum serio consideres velimus hic agi de episcopali visitatione, tum religiosis societatis Jesu, tum Franciscalis ordinis Capuccinorum viris facta, qui pluribus abhinc annis in ista Parisiensi civitate, et sub variis archiepiscopis tuis prædecessoribus commorantes, pacifica eorum exemptionis possessione potiebantur; et proinde Apostolica etiam Sedes peculiari seu privativa sua in ipsos jurisdictionem pollebat. Itaque de spolio agitur per factum patrato contra possessionem quam Apostolica Sedes et regulares habebant. Hic verus est quæstionis status, ex quo per facile perspicias Apostolicam Sedem juste egisse, etiam si placeret in iudicium sententiamque convertere verba illa quibus te monendum duximus. Etenim, venerabilis frater, quamquam plenam haberes rationem, tamen minime ignoras ex utriusque juris præscripto neminem de possessione deturbari posse. Quamobrem antequam regulares et Apostolicam Sedem propria possessione ac jure spoliaret, tuum erat, tum reverentiæ, tum justitiæ causa, eandem Sedem de tuis rationibus certiorum facere, et ab eadem Sede expectare responsum. Quæ Apostolica Sedes justissime est operata, quandoquidem apprimè noscis quod intercedat discrimen inter *judicium petitorium* et *possessorium judicium*, ac quæ utrumque jus præcipue statuatur circa cujusque generis spoliatorum et ausuum iudicia. Vehementer optamus, venerabilis frater, ut id pro tua prudentia sedulo considerare et intelligere velis.

» Arbitraris autem Apostolicam Sedem ex præsumptionis jure pro superiore semper stare debere, quando inter dispares gradu quæstio habetur, ac regulam proponis illi longe dissimilem quam sanctus Bernardus Innocentio II decessori nostro proposuit illis verbis: « *Hoc inter cætera vestri singularis primatus insignia specialius nobilisque nobilitat, vestrum et inelytum reddit apostolatam, si eripitis pauperem de manu fortiorum ejus* » (S. Bernardus, Epist. 198). »

» At contendis religiosas familias, Lutetiæ Pari-

siorum degentes, haud posse perfrui exemptionis juribus, propterea quod ipsæ, veluti tibi videtur, tres ob causas, non sunt canonice erectæ. Et primum, quia istius status leges non tribuunt regularibus legitimam existentiam; secundo propterea quod ipsæ leges non sinunt regularium domos alicujus dominium rei et possessionem habere, ex quo evenit ut minima possit executioni mandari quod apostolicæ jubent constitutiones, quæ præscribunt ut ante fundationem omnino constet quomodo se decenter sustentare queant; ac denique propterea quod Tridentina synodus et romanorum Pontificum constitutiones ad canonicam regularium in diœcesibus existentiam requirunt episcopi consensum, quem asseris nunquam impertitum fuisse regularibus de quibus sermo est. Atque etiam asseris præcedentis existentiam factum nullomodo canonicum eorundem regularium statum efficere posse: non titulo implicitæ approbationis, quandoquidem pontificiæ constitutiones et concilium Tridentinum postulant, veluti opinaris, ut hujusmodi episcopi consensus et auctoritas sit expressa et scripto data, ante regularium adventum; non titulo prescriptionis, propterea quod ais agi de lege irritante ac de lege publici ordinis quæ, ut existimas, prescriptionem haud admittunt. Sed non dubitamus quin per te ipse cognoscas, venerabilis frater, hujusmodi argumenta nullam plane vim habere, si, pro tua intelligentia, seriò perpendas quæ dicturi sumus quæque a te sedulo considerari summopere cupimus.

» Et sane quoad leges status quæ legitimam seu civilem regularibus ordinibus existentiam denegant et vetant illorum domos alicujus possessionis dominio potiri, et ita impediunt quominus impleatur conditio a canonicis sanctionibus eorundem fundationi imposita, ut nempe constet quomodo se cum decencia alant: quid valere unquam possunt hujusmodi civiles leges ad ecclesiasticorum juriarum rationem administrationemque? Te minime latet has civiles status leges, hisce præsertim turbulenti-ssimis, miserimisque teterrimæ ac perniciosissimæ rebellionis temporibus, posse etiam episcopalis et cuilibet alii ecclesiasticæ institutioni denegare in dies legitimam seu civilem existentiam, quemadmodum ipsis omnem cujusque rei possessionem dominiumque injustissime denegant. Ipsis igitur canonice existentia et propria eorum ecclesiastica jura erant unquam deneganda? Prope cognoscis evangelicorum consiliorum exercitium, ad christianam assequendam perfectionem maxime necessarium, facilius in religiosis familiis obtineri posse. Poterunt nec civiles leges christianæ perfectionis exercitium in statu impedire, et episcopi ejusmodi legibus canonicam vim attribuere debebunt? Omnes quidem, et episcopi imprimis, agnoscunt quæ semper fuerit Ecclesiæ et hujus Apostolicæ præsertim Sedis, omnium Ecclesiarum magistræ, agendi ratio circa hujusmodi leges regularibus ordinibus inimicæ et infestæ. Episcopus igitur posset-ne ab hujusmodi traditione discedere, ac deserere locum quem in

Ecclesia tenet, hasce leges sancire eisque coram Ecclesia aliquem attribuere effectum? Quæ quidem considerationes evidenter ostendunt quam inanis sit oppositio ex ejusmodi civilibus legibus petita.

» Quod autem hæc leges per summam injustitiam decernunt religiosas domos nihil omnino posse dominii jure possidere, et idcirco censes haud posse impleri conditionem a sacris canonibus regularium fundationi præscriptam, ut nempe constet de eorum decenti sustentatione, si eorundem quos appellas canonum spiritum et litteram penitus et accurate perspexeris, venerabilis frater, certe videbis te falli ac decipi. Etenim quidam canones postulant præscribendo illam conditionem? Nihil profecto aliud exigunt et volunt nisi eorundem regularium bonum, tum singulorum, tum recti præsertim cujusque religiosæ familiæ regiminis et administrationis ratione habita. Itaque cum omnino impossibile ipsis sit illam exequi conditionem, qua æquitate posset in eorundem damnum verti quod pro ipsorum bono est constitutum? Notissima tibi sunt de hac re non solum canonum (cap. *Quod ob gratiam, de Reg. juris* in 6). sed etiam civilium legum regulæ (Leg. *Nulla* 25 ff. *De legit.*): « *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* »

» Si autem canonicas litteras inspicias, num ipsis præcipiunt ut regulares, quemadmodum tibi videtur, possessionibus duntaxat eorum dominii alantur et sustententur? Non certe. Hi canones sunt: Constitutio *Cum alias* Gregorii XV decessoris nostri, die 17 aug. 1622 edita; constitutio *Cum sæpe* Urbani VIII item decessoris nostri, die 21 junii 1625, et constitutio *Nuper* Innocentii XII item decessoris nostri, die 23 decembris 1697. Ac satis erit eam afferre quæ recentior est aliasque duas complectitur. Hæc igitur constitutio ita loquitur: « *Deinceps vero monasterium conventus, domus, etc.... regularium nullibi recipiatur nisi in singulis hujusmodi locis duodecim saltem religiosi degere, et ex redditibus et consuetis elemosynis, detractis detrahendis, competenter sustentari valeant.* » Itaque canones minime loquuntur unice de possessionibus, sed generatim de redditibus et elemosynis contenti sunt.

» Sed jam loquamur oportet de alia conditione seu de episcopali venia et consensu quem Tridentina synodus et pontificiæ constitutiones ad canonicam regularium domorum existentiam constituendam requirunt. Nemo certe, venerabilis frater, de hujusmodi episcopalis consensus necessitate dubitare potest, sed in præsentis quæstione est videndum si hic consensus sufficienti modo extiterit. Ac rebus omnibus sedulo examinatis, qua æquitate negari unquam poterit ejusmodi extitisse consensum? Et sane, ut cætera omittamus, omnes norunt, venerabilis frater, commemoratos religiosos tum Franciscalis ordinis, tum societatis Jesu viros, reipsa pluribus abhinc annis istic extitisse

sub variis Parisiensibus antistitibus tuis prædecessoribus, qui eorumdem regularium opera ad animarum salutem curandam, et ad omnia sacri ministerii munia obeunda quam libentissime usi sunt, quique eosdem regulares omnibus benevolentia et honoris significationibus sunt prosecuti. Quæ tuorum prædecessorum erga ipsos regulares agendi ratio clare ostendit canonicum consensum sufficienti modo expressum fuisse, illumque negari haud posse, quin maxima tuis ipsis prædecessoribus inferatur injuria. Atque percommode cadit quod *De institut.* cap. *Non amplius* Fagnanus auctor æqualis et etiam posterior Urbano VIII, aliisque Romanis Pontificibus prædecessoribus a te appellatis, et illarum canonicarum constitutionum quas recensens scientissimus, scribebat, quin nemo unquam vel antea vel postea adversatus fuerit: « Glossa ultima in cap. *De Monachis* quæst. 2. ponderando verbum *probante* notat « satis esse ut episcopi consensus accedat post erectionem quia rati habitione potest confirmare » et consentiunt ibi Hugo, Archidiaconus et alii. » Et revera aliter esse non potest, cum ita æquitas exigat, et, quemadmodum iurisperiti loquuntur, facta potentiora sint verbis.

» Ex quo pro tua sapientia intelligis nullum pondus habere tuam animadversionem, ex Urbani VIII constitutione deductam, ut scilicet ordinarii venia *expressa* esse debeat et non *implicita* aut *presumpta*, veluti existimas, quoniam non minus id exprimitur quod certis, evidentibus et longa annorum serie continuatis factis exprimitur, quam quod verbis etiam scripto exprimitur. Ac multo minus valet alia animadversio, ut scilicet hæc episcopalis venia scripto sit tradenda, propterea quod non solum facta potentiora sunt verbis et scriptis, verum etiam propterea quod nulla canonica constitutio hanc scripti conditionem statuit. Neque afferri potest argumentum a concilio Tridentino depromptum, ut scilicet ordinarii consensus fundationem præcedere debeat. Nam te minime latet hunc esse proprium, naturalem et juridicum omnis rati habitionis, quæ ex sequentibus factis oritur effectum, sanandi scilicet defectum illius actus qui recte præcedere debuisset. Nihil autem ad præsentem questionem attinet quod de prescriptione loqueris, cum nemo prorsus intendat aut velit ordinarii consensum per prescriptionem excludere, sed unice dicitur hujusmodi consensum, tot factis, ac longa annorum serie amplissime declaratum, sine dubio ac sufficienti modo existere, ac non solum haud posse eundem negari consensum, verum etiam pro certo haberi debere illum omni meliore forma exstitisse.

» Jam vero dum hæc prædictis tuis potissimum litteris, kalendis septembris ad nos missis, rescribenda tibi diligentem consideranda esse censemus, haud possumus quin alia quoque non levis certe momenti tibi significemus. Namque dissimulare non possumus, venerabilis frater, summam fuisse nostram molestiam admirationemque, ubi

accepimus te exequiis interfuisse magni utriusque militiæ magistri Magnan et solemnem absolutionem fuisse impertitum, dum ex illius feretro massonica etiam extabant insignia, et eidem funeri socii illius damnatæ sectæ cum eisdem insignibus adsistebant. Tuis litteris, die I proximi mensis augusti ad nos scriptis, asseveras illa insignia nec a te nec a tuis presbyteris visa fuisse, neque ea ullo modo a te cognosci. Verum optime sciebas, venerabilis frater, illum defunctum virum, dum vixit, magni uti appellant orientis munus proscriptæ ejusdem sectæ misere sustinuisse; et idcirco facile prævidendum erat ejusdem sectæ socios illi funeri esse interfuturos ac simul curaturos ut ipsius sectæ insignia ostentarentur. Itaque pro tua religione omnia tibi erant sedulo consideranda, et omnino ab illis exequiis cavendum ne tua præsentia et opera excitarentur gravissima illa admiratio et offensio qua omnes viri catholici merito affecti fuerunt.

» Etenim haud ignoras quomodo, gravibus etiam irrogatis pœnis, massonica aliæque hujusmodi iniquitatis societates a Romanis Pontificibus decessoribus nostris et a nobis ipsis damnatæ fuerunt (Clemens XII constituit. *In eminenti*, Benedictus XIV *Providas*, Pius VII *Ecclesiam*, Leo XII *Quo graviora*, nostra encyclica epist., die 9 novembris 1846, et alibi). Siquidem hujusmodi impietatis sectæ, nomine licet diversæ, tamen nefario scelestissimorum consiliorum fœdere inter se conjunctæ, ac teterrimo contra sacrosanctam nostram religionem et hanc Apostolicam Sedem odio inflammatæ, tum pestiferis scriptis longe lateque disseminatis, tum pravis aliis quibusque ac diabolicis prorsus artibus adhibitis omnium mores mentesque corrumpere, omnemque honestatis, virtutis, veritatis ac justitiæ idæam de medio tollere, et monstrosa opinionum portenta usquequaque spargere, et abominanda quæque vitia et infanda scelera fovere, propagare, et legitime cujusque auctoritatis imperium labefactare; et catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, civilemque societatem, funditus evertere, et Deum ipsum de cœlo detrudere emoluntur.

» Nunc autem silentio præterire non possumus ad aures nostras pervenisse istic erroneam æque ac perniciosam invaluisse opinionem, Apostolicæ hujus Sedis acta nullam parere obligationem, nisi acta ipsa, civilis potestatis venia, executioni fuerint mandata. Quod quidem quam erroneum et Ecclesie atque Apostolicæ Sedis auctoritati injuriosum et spirituali fidelium bono adversum sit nemo certe non videt. Suprema enim Ecclesie ejusdemque Sedis auctoritas civilis potestatis imperio et arbitrio obnoxia nullo modo esse unquam potest in iis omnibus quæ ad ecclesiasticas res ac spirituale animarum regimen quavis ratione spectant; et illi omnes qui catholico nomine gloriantur eidem Ecclesie et Apostolicæ Sedi religiosissime obtemperare, debitamque reverentiam ac devotionem exhibere omnino tenentur.

» Atque hic animadvertas velimus te, in commemorato sermone penes istum senatum pronuntiato

perperam asseruisse a felicitis memorie Benedicto XIV prædecessore nostro, in conventionem cum Sardinia rege inita, eidem regi concessum fuisse regie executionis jus circa pontificia acta, quandoquidem affirmasti in instructione eidem conventioni adjecta dici: « Pontificias constitutiones ad disciplinam » pertinentes subjiciendas esse illius senatus recognitioni, easque regia executione indigere, ut » obligandi vim habeant, exceptis constitutionibus » et apostolicis litteris quæ ad dogma moresque » spectant. » Quæ falsa sane assertio nunquam fortasse ex ore tuo excidisset, venerabilis frater, si ante oculos habuisses diligenterque attendisses ejusdem instructionis verba. Et re quidem vera in articulo III illius instructionis hæc verba leguntur:

« Nel concordato col Pontefice Benedetto (XIII) » trattandosi dell' esecuzione de' brevi e bolle apostoliche, come può leggersi nello stesso concordato, » fu tollerata la semplice visura, senza porre alcun » seguò, o fare alcun decreto in ordine all' esecuzione sopra dette bolle e brevi; e si sa che tutto » ciò è stato fedelmente adempito. E benchè si » dica con ogni asseveranza, e si creda che nè il » senato, nè verun altro tribunale non ha assunta » ad istanza di chi si sia la cognizione sovra la » giustizia o pretesa ingiustizia delle bolle o de' » brevi, desiderandosi nulladimeno che il tutto » mai sempre proceda con una perfetta armonia, » quando mai s'incotrassero, qualche difficoltà » contraria all' esecuzione della bolla o del breve, » e si bramasse di saperne i motivi, dovranno i » ministri di sua maestà, con i chiarimenti bastevoli per appagare, informarne o il ministro della » Santa Sede residente in Torino, oppure i ministri » apostolici residenti in Roma. Dalla semplice » visura poi resteranno eccettuate le Bolle dogmatiche in materia di fede, le bolle e i brevi » regolativi del ben vivere e de' santi costumi, le » bolle de' giubbilei e d'indulgenze, i brevi della » sacra Penitenzieria, e le lettere delle sagre congregazioni di Roma, che si scrivono agli ordinarii, » o ad altre persone per informazione. »

» Atque hujusmodi circa regie executionis veniam dispositiones nunquam immutatæ fuerunt in posterioribus conventionibus inter hanc Apostolicam Sedem et Sardinia regem initis, et in conventionem a recentis memorie Gregorio XVI prædecessore nostro cum defuncto Sardinia Rege Carolo Alberto super immunitate personali anno 1842 facta, ad plenum vigorem revocatæ fuerunt præcedentes conventiones in iis omnibus quibus per eandem conventionem non fuit derogatum.

» Tibi autem persuade, Venerabilis Frater, nos hæc omnia pro supremi nostri apostolici ministerii munere ac pro paterna nostra in te dilectione manifestare debuisse; ac futurum plane confidimus ut pro tua religione velis hæc omnia amantissima nostra monita ac documenta quam libentissime

excipere, iisdemque studiosissime obsequi, firmiterque adherere, ac germanam catholicæ Ecclesie doctrinam et jura strenue tueri, debitamque erga Apostolicam hanc Sedem et Christi his in terris vicarium devotionem et obedientiam omnibus inculcare, et omnes boni pastoris partes quotidie magis explere in hac præsertim tanta temporum iniquitate. Pro certo etiam habe te apud nos in pretio et honore esse et a nobis vehementer diligere. Atque præcipuè hujus nostræ in te benevolentia testem et omnium cœlestium munerum auspiciis esse volumus apostolicam benedictionem, quam toto cordis affectu tibi ipsi, venerabilis frater, et gregi tuæ curæ commisso peramanter impertimur.

» Datum Romæ, apud S. Petrum die 26 octobris anno 1865, pontificatus nostri anno vigesimo. — Pius PP. IX. »

ANIMADVERSIO XXXVII.

PRIVILEGIA VOTORUM SOLEMNIUM MONIALIBUS TERESIANIS IN URBE MELDENSI DEGENITIBUS CONCESSA.

Per supplicem libellum Sanctissimo D. N. Pio IX oblatum, die 4 octobris 1867, moniales carmelitanæ discalceatæ Meldenses enixe postulaverunt pro canonica erectione proprii monasterii, et impetrandis gratis et privilegiis quibus ordines religiosi fruuntur. Illis rescriptum fuit ut sequitur:

« Ex audientia Sanctissimi habita ab infrascripto D. secretario S. C. episcoporum et regularium sub die 13 martii 1868.

» Sanctitas Sua benigne annuit arbitrio episcopi Meldensis pro canonica erectione enuntiati monasterii, quatenus omnia in promptu habeantur quam pro hujusmodi erectionibus requiruntur, ita tamen ut in eo professio votorum simplicium dumtaxat emittatur, concessa ex apostolica Sedis gratia sanctionalibus ejusdem monasterii communicatione privilegiorum et gratiarum spiritualium quæ sanctimonialibus votorum solemnium ejusdem ordinis, concessæ fuerunt quin tamen ullam exemptionem a jurisdictione ordinarii habere possint, cui in omnibus præfatum monasterium subiacere debet. Romæ, card. QUAGLIA præfectus. — S. Svegliati secretarius.

» Vidimus et executioni mandari jussimus. Meldis, die prima aprilis 1868. AUGUSTUS, episcopus Meldensis. »

Notandum quod ad consequendos effectus præmemorati rescripti præfatae sanctimonialis acceptare debuerunt regulas, constitutiones, liturgiam et caeremoniale in congregatione dicta de sancto Elia Romæ usurpata; et revera sua vota simplicia quidem de novo emisissent juxta regulam et formulam ordinis Teresiani primitivam.

Cf. Aduotationes I et II volum. quinti, speciatim pag. 669, 670 et 673.

ELENCHUS ANIMADVERSIONUM

1. De titulo ad ordines requisito. 203
 2. De resignatione gravi metu injuste exorta. 205
 3. De clericis ordiandis ab extraneo episcopo. Ibid.
 4. De residentia canonicorum in ecclesiis collegiatis non insignibus. Ibid.
 5. De statutis capitularibus tempus absentiae ultra trimestre indulgentibus. 206
 6. De consanguineis episcopi ad beneficia non admittendis. Ibid.
 7. Quid intelligendum per res exigui valoris ubi agitur de alienatione bonorum ecclesiasticorum? Ibid.
 8. Calix de novo inauratus nova indiget consecratione. 207
 9. An liceat clericis possidere actiones, ut aiunt, viarum ferratarum et alias hujusmodi? Ibid.
 10. Cujus naturae sit suspensio a Tridentino lata contra sacerdotem sponso sine illorum parochi licentia conjungentem aut benedicientem? Ibid.
 11. De jurisdictione regularium in suos familiares. 208
 12. De privilegio altaris portatilis regularibus sublato. Ibid.
 13. De usu annuli. 209
 14. De benedictione mulieris post partum. Ibid.
 15. De communione paschali. Ibid.
 16. De confessione regularium. Ibid.
 17. De approbatione confessariorum. 210
 18. De confessario jurisdictionem dubiam habente. 211
 19. De facultatibus cardinali majori Pœnitentiario competentibus. 212
 20. Facultates speciales quæ solent concedi confessariis ad majorem Pœnitentiarium recurrentibus. Ibid.
 21. Decreta circa usum pontificalium prælati episcopo inferioribus concessum. 213
 22. De massonismo. 216
 23. De procuracionibus episcopo aut vicario capitulari ecclesias visitanti debitibus. Ibid.
 24. Litteræ apostolicæ Benedicti XIV de concursu habendo pro parochialium ecclesiarum collatione. 217
 25. De visitatione ad apostolorum limina et de relatione ecclesiarum. 222
 26. De termino gratiarum a Sancta Sede concessarum. 226
 27. Ratio tractandi negotia in S. C. episcoporum et regularium. Ibid.
 28. Ratio tractandi negotia in S. C. concilii, ordine juris servato. 228
 29. Decretum in gratiam surdo-mutorum quoad modum indulgentias lucrandi. 229
 30. Litteræ apostolicæ circa formulam juramenti in Galliis usurpatam. 230
 31. Litteræ apostolicæ circa dotationem clero Galliarum debitam. Ibid.
 32. Indultum pro quadragesima. 231
 33. Indultum pro recipienda professione fidei. Ibid.
 34. Indultum pro dispensationibus in radice denegatum. 232
 35. Syllabus complectens præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in encyclicis aliisque apostolicis litteris SS. D. N. Pii PP. IX. Ibid.
 36. Litteræ apostolicæ ad archiepiscopum Parisiensem anno 1865 directæ. 236
 37. Privilegia votorum solemnium monialibus Tere-sianis in urbe Meldensi degentibus concessa. 241
-